

QK. 531. 24

B. m. T. 6. 0

II C  
116

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
DANIEL WILHELMVS  
TRILLERVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
CONSILIARIVS AVL. ELECT. MEDIC. PROFESSOR  
PRIMARIVS ET ILLVSTR. ACAD. SCIENTIAR  
BONONIENSIS SODALIS

ORATIONEM  
DAVIDIS SCHVLZI

PALAEO BELGERANI  
IVR. CVLT  
BENEFICI THIELEMANNIANI CAVSSA  
FVTVRO VENERIS DIE  
H. L. Q. C.  
HABENDAM

X 2316502

C I V I B V S



210 7.11.0  
180.26  
VIA COMPENDIARIA DISCENDAE  
LINGVAE LATINAE SPEC. II

27  
RO  
RO  
2  
A2  
Quae sit uia cognoscendae linguae Latinae facilis atque expedita, ut illius facultate praeditus, quae sentias, communicare cum multis possis, nuper monstrauiamus. Nunc, quibus illa sit exercitationibus terenda, uideamus. Hic uero nobis otium fecit Ioannes Schefferus, in libro singulari, quem gymnasium styli, seu de uario scribendi exercitio, inscripsit. Iure censet hanc rationem multiplicem, quod aliae commentationes Grammaticae sunt, aliae Rhetoricae. Illas in scholis tractarunt Grammatici, has Rhetores, oratores autem frequenti usu perfecerunt. Illae munditiem spectarunt sermonis, quam puritatem uocant impure, haec ornatum copiamque dicendi. Illae faciliores fuerunt, atque ad captum accommodatiores puerilem, haec difficultates obiecerunt maiores, ab ingeniis expectandae subactis. Nos, qui consilia modo sine uitio ac prompte intelligendi loquendique damus, de Grammaticis magis laboramus, quam Rhetoricis. Ambarum tamen sapientissimus quisque principatum dat interpretationi, quae uulgo uersio dicitur. Instar omnium nobis Quintilianus esto, praestantissimus sermonis Latini magister, institutorum oratoriarum X. 5., consuetudinem, antiquitus  
rece-



receptam, non temere secutus. *Vertere Graeca in Latinum ueteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se, L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit, fecitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit, hoc genere translatos. Id Messalae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes.* Cum praeceptor tantum tribuat interpretandi studio, mirum non est, Plinium iuniorem, discipulum, illud facere non minoris VII. ep. 9. Nam quaerenti Fusco suo, quem ad modum sit in secessu literis opera nauanda, utile demonstrat in primis, atque a multis praeceptum, uel e Graeco in Latinum, uel e Latino uertere in Graecum. Cui praeceptioni quo facilius obtemperet, graues subiicit causas, quam ob rem eam tanto in pretio habeat. *hoc genere exercitationis proprietas splendorque uerborum, copia figurarum, uis explicandi, praeter ea imitatione optimorum similia inueniendi, facultas, paratur, simul, quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt, intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur.* Argumenta fere cuncta sumpsit e Quinctiliano, loco paullo ante laudato, quem repetere nolo, quod linguam Graecam propius attingunt, quam nostram, atque eloquentiae sunt coniunctiora, cum nobis sola sententiae perspicuitas, ac promptus linguae Latinae usus curae cordique est. Quo consilio duplicem conuertendi modum curatius discernimus. Alter de Latino in

msup

2

Germa-

Germanicum transfert, alter de Germanico in Latinum. Multi posteriorem confectantur, eaque ducti opinione, Speccios aliosque generis eiusdem pueris diurna nocturnaque manu uersandos tradunt, et semel iterumque ac saepius elaborandos. Sed hi erunt fere, qui suae magis socordiae ac pigritiae consulent, quam iucundae discipulorum ac sobriae disciplinae. Hi enim dum magno cum fastidio pensum sibi iniunctum conficiunt, molestia atque angore cruciati, et sudore madentes, interea doctor uel cessat omnino, uel aliud agit. Alumni uero barbara dicendi ratione atque inaequali assuefacti, ieiunitatem et famem per omnem uitam deponere uix possunt. Nec leuius peccant, qui, imitationis puerilis causa, partem scriptoris antiqui contorquent usque eo, dum casui cuidam simili respondeat. Horum Quinctilianus VIII. 3. *curam iure censet odiosam, eoque peiorem, quod rei studiosi non uerba rebus aptant, sed res extrinsecus arcessunt, quibus haec uerba conueniant.* Inde nascitur affectatio, quae, sicut naturalem cogitandi cogitataque exponendi pulchritudinem tollit, ita difficultate fatigat ac satietate. Omnium se gerunt atrocissime isti, qui coetui puerum, de loco certanti, distant, quod e uernacula in Latinam mutant. Is rudis omnium atque imperitus, non mediocri labore, ad indices uocum se recipit, bona malis, obsoleta nouaque ueteribus atque usitatis, impura puris commiscentes, ex iisque centones sarcit, mimis aptiores, quam

quam liberalibus ingeniis. Quis non ridebit medicum, qui iubet aegrotos prius ipsos medicinam, sibi ignotam, conquirere, ut habeat, quod repudiet postea, meliusque curet. Quis non aegre feret itineris ducem, in compitis uiam rectam non monstrantem prius, quam longius aberrarimus, et, cum magna temporis iactura, tandem reuocati, breuiori faciliorique insistamus. Nec uero penitus sperno diligentiam, Germanica in Latinum sermonem redigendi, probo potius magnopere praescriptum principum Saxoniae, in scholis prouincialibus constituendis, ut partem scriptoris antiqui lectiorem, Germanica donatam ciuitate, iuuenibus ignotam, hinc scribendo excipiant, ac Latinam reddant. Sic Tullianam tractantes epistolam, ipsum postea Ciceronem auctorem iudicemque habent, ex quo, ubi sint imprudentia lapsi, quid potuerint elegantius efferre, maiore cum fiducia, atque obsequio ad emendandum paratiore, cognoscant, quid quaeque lingua proprium teneat, accurate distinguentes, ac suam cuique rei tribuentes uocem, natiuamque potestatem. Procliuius res celeriusque succedet, loco quodam, lectione praesertim stataria, explicato, unus auditorum Germanicam si praeuertit interpretationem, ab altero statim Latinis reuocandam, dum, consuetudine exercendo corroborata, in partibus, antea nunquam perceptis, idem tentetur, quarum nouitas non minus attentionem acuit, quam uerborum commu-

tatione, quoties scriptoris formula difficilius animum  
subit, orationem uariare docet. Quamuis igitur has  
e Germanico in Latinum traductiones, opportuni-  
tatis eximiae caussa, non contemnamus, diligentius  
tamen aetatem uolumus ineuntem conteri in moni-  
mentis Latinis, Germanico sermoni tradendis. Haec  
ratio, quae sit uis propria uerbo cuique subiecta, paruo  
negotio demonstrat, quam nisi cognitam habueris  
perfectamque, parum te profecisse putato, quod ne-  
que tu alios intelligis recte, neque alii mentem tuam  
sine dubitatione perspiciunt. Homines certe docti,  
quam sit arduum ac difficile, suum cuique rei uerbum  
diligere, non ignorant, ob eamque caussam uariis  
utuntur subsidiis, a Bergero, in praefatione disserta-  
tionum Academicarum studio peruestigatis insigni.  
Praecipuam petunt opem ab Iure consultis, qui ex  
instituto uerborum significationes enuclearunt, fru-  
gifero commentario Brissonii illustrati, unde nos qui-  
dem plura, quam e tot Lexicis ac Dictionariis, re  
nomineque barbaris, addidicisse, grati profite-  
mur. Nec tamen poenituit Vauassorem iunxisse, de ui et  
usu quorundam uerborum, cum simplicium, tum con-  
iunctorum, subtiliter disputantem. His uero poterit  
lucubrationibus superfedere assiduus Latinorum inter-  
pres scriptorum, ac, diuturna obseruatione, notanda  
uerborum sententia, artem sibi ipse facere, nostra me-  
moriam ualde necessariam illam quidem, qua catachre-  
ses, nescio qua sublimitatis, quae sensus feriat, opinione,  
imma-

immane quantum cumulantur, ne quid de barbaria dicam, scientias omnes, non philosophiam modo, peruagata, ut, si Cicero in hanc lucem rediret, libellosque uideret Latinos, omnia crassis circumfusa tenebris, quereretur. Nec proprietatem solam magis magisque animaduertet, sed etiam Germanismos fugiet, quibus multorum sunt opellae refertae. Vel usus pronominum solus, Manutio iudice, quantopere a uera Latinitatis regula discedatur, statim detegit. In temporibus autem uerborum tanta confusione miscentur omnia, ut, qui Clarkium ad Homerum, ea descripte electeque docentem, legerit, accuratorem ueterum miram non possit non desiderare. Qui quoniam multimoda arte sententias commutant, neque semper, ut nostrorum temporum negligentia festinat, dictione repetenda satietatem mouent, uno eodemque labore oratio copiosa largaque comparatur. At nolumus uerbum uerbo reddi, ordine nihil immutato, quo genere interpretandi nihil obscurius, nihil magis insulsum. Ingenium potius linguarum, quo uehementer hae discrepant, seruetur, praeceptaque teneantur, tam ab Huetio de optimo genere interpretandi, quam breuius ab Ramlero ad Battesium, tradita. Quibus rationibus initis, dubium non est, quin idem nobis, quod Ezechieli Spanhemio, usu ueniat. Is prima posuit Graeci sermonis tirocinia, Iuliani Caesaribus conuertendis, eaque assiduitate ad tam praeclaram illius notitiam peruenit, quam scripta eius limatissima spirant  
ubi-

ubique. Neque nos destituet operae pretium, si non minus accurate, quam nauiter, eximiis Latii reliquiis ciuitatem Germanicam dederimus, cuius illas pudere non debeat. De caeteris exercitationum modis propediem

Nunc enim commendandus Vobis est, *Ciues Humanissimi*, Nobilissimus Doctissimusque, DAVID SCHVLZE, *Palaeo Belgeranus*, Iurisprudentiae studiis assidue deditus. Qui, quo maius capit adiuumentum e beati Thielemanni liberalitate, ad studiorum cursum feliciter peragendum, eo cupidius optat, ut eius suprema uoluntas expleatur, memoriam nominis sui posteris transcendendi, aliosque ad consimilem munificentiam prouocandi. Verba tamen prius faciet de nimia in ordinem sacrum largitate, nouissimis legibus temperata, quo maioris faciamus emendatorum per Lutherum sacrorum beneficium, cuius fructus uberes percipiunt uel regiones, ab sacris nostris alienae. Faueamus, *Ciues*, honestissimo consilio tanto libentius, quod SCHVLZ I diligentia nunquam remissa, ac morum decus compositorum, hoc officii poscit, et gratus in illos animus, qui, bene de nobis promerendo, gloriam iure suo repetunt immortalem. P. P. XVI. Kal. Ianuar. CIOIO CCLXX


---

V I T E M B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

A C A D E M I A E & T Y P I S





OK. 531, 34

B. m. F. 6. 0



RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
DANIEL WILHELMVS  
TRILLERVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
CONSILIARIVS AVL. ELECT. MEDIC. PROFESSOR  
PRIMARIVS ET ILLVSTR. ACAD. SCIENTIAR  
BONONIENSIS SODALIS

ORATIONEM  
DAVIDIS SCHVLZI

PALAEO BELGERANI  
IVR. CVLT  
BENEFICI THIELEMANNIANI CAVSSA  
FVTVRO VENERIS DIE

H. L. Q. C.  
HABENDAM  
CIVIBVS

SIGNIFICAT

